Lee
e.35

ROBERTUS W. LEE, D.C.L.
HUJUS SOCIETATIS SOCIUS
DEDIT
MCMXIX

Lee c. 25

Digitized by Google

PRESENTED TO
THE BODLEIAN LIBRARY
BY
PROFESSOR R. W. LEE

Digitized by Google

JOHANNIS VOET

JURISCONSULTI & ANTECESSORIS

ORATIO FUNEBRIS

IN

OBITUM

CLARISSIMI AC CELEBERRIMI VIRI

ANTONII MATTHÆI A. F. A. N.

Jurisconsulti & Antecessoris in Academia Lugduno Batava.

Habita die XIV. Septembr. MDCCX.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud HENRICUM TEERING, Bibliop.
è regione Academiæ in angulo plateæ de Klokſteeg.
MDCCX.

Digitized by Google

BODLEIAN
11 NOV 1909
LIBRARY

Digitized by Google

JOHANNIS VOET

ORATIO FUNEBRIS.

SI prisca morum simplicitas, majorum respondens frugalitati, si multijuga bonorum auctorum ac diligens evolutio, si tenacissima lectorum fidissimaque memoria, si comparata inde virtutis atque eruditionis stupenda penus, si librorum conscriptorum editorumque strues congesta, moram injicere rugis potuissent, & instanti senectæ ac morti indomitæ, vixisset ulterius, Auditores, vixisset, & Nestorios supra annos produxisset ætatem clarissimus ac celeberrimus Juris Antecessor Antonius Matthæus, ac captam per nostros urbem munitissimam, tot aliis superatis additam recentissime, victas iteratâ vice, ac clade maximâ fractas fugatas debellatas in Hispaniâ Gallorum copias, hilari nobiscum mente gratulabundus accepisset, longe-

 que

que funeſtus, quem cernitis, hinc abeſſet apparatus, longe næniarum uſus, & quicquid ornatus ex Libitinæ templo produci ſuetum. Aſt, proh dolor, uti rerum omnium aliarum viciſſitudo eſt, nihil ſtabile, conſtans nihil aut perpetuum, fragilia univerſa, pauca diuturna, pleraque ſpatio temporis exiguo præterlabentia, ac alium a priore induentia derepente habitum; ita quoque in ipſis mentis bonæ palæſtris ſeſe multifariam mutationes produnt rerumque converſiones, dum læta ſubinde celebrantur tempora, feſtivi dies, horæ ſerenæ; nonnunquam ex adverſo fatorum triſtium ac nubilis tempeſtatis deplorandi caſus lugubris ſermonis argumentum ſunt. Non adeo multi circumacti menſium orbes, ex quo lætabundus hanc cathedram conſcendens, annuum Rectoris honorem, quem ſuſtinueram, depoſui, faſceſque tradidi ſucceſſori Magnifico, animo ſane perquam lubente: hodierno vero die hujus ad auditorium confluxus frequentioris non alia cauſa eſt, quam ut luctuoſum illud vobis ſuggeram, univerſi generis humani legem eſſe, naſci & mori, mori natos, naſci morituros, adeoque omnes ad ſepulchrum, velut ad communem locum pro-

proficiſci, huc omnes, diverſis licet itineribus, properare, huc numeroſiſſimam illam, quæ in caſtris militat, quæ in foro litigat, quæ in theatro ſedet, quæ in templis precatur, quæ vagabunda per quaſvis orbis regiones oberrat, turbam diſpari gradu vadere; bellis alios, alios peſte ferali, quoſdam naufragiis, latrociniis quoſdam, juſtis nonnullos illatis ſuppliciis, pleroſque corporis intemperie abſumtos, ex hâc vitâ educi, neque quicquam intactum a morte relinqui, aut ullam inveniri mundi plagam, a quâ ea exulet. Præprimis vero ſapientes non minus, quam ſtolidos, doctos æque ac indoctos ineluctabile manere fatum, & maxima etiam in terris lumina atque eruditionis columina decretoriam debere horam ſubire, dies menſis ſuperioris Auguſti vigeſimus quintus teſtatum fecit, quo, quem ante nominavi, Vir multifariam incomparabilis ſpiritum ſupremum duxit, animamque Creatori, a quo proceſſerat, reddidit haud invitus, inter omnes Academiarum Fœderati Belgii Doctores diſciplinarum quarumcunque Profeſſione antiquiſſimus. Cui cum parentandum eſſe, & ex more Patres Academici cenſuerint, & propinqui non in-

terceſſerint, indeque provincia hæc mihi fuerit demandata, defugere eandem nec volui, nec debui: nam & ordinem me, licet imparem meritis Viri Laudatorem, tangere, ut extremum adimplerem officium hocce, res ipſa loquebatur, &, ut ſponte ſuſciperem, impulit, quod non tantum mihi honor obtigit eundem, dum vixit, ſalutandi ultra annos triginta Collegam ſeniorem, eumque, ut talem, debitâ proſequendi veneratione, ſed & una cum genitoribus meis, patre avoque piæ memoriæ, in vicinâ Ultrajectinorum Academiâ publice docuerit, ac denique parentem meum defunctum ſolenni laudare oratione non fuerit dedignatus.

Dicam vero, Auditores, Viri inſignis in orbem ingreſſum, progreſſum deinceps, per ætates, quoad ejus fieri poteſt, diſtinctum expediam, ut adoleſcere cæperit, ut ad juventutis florem, ut ad ſtatam ætatem, ut ad nuptias, ut ad ſenectutem pervenerit ingraveſcentem, exitum tandem, alienâ fide, dum præſens non fui, commemoraturus. Quibus ſi & ingentes addidero ac enumeravero Viri labores, corporis deſcriptionem, animique dona, me, vobis judicibus, viri boni officio de-

defunctum esse sperare ausim, si modo, qui corpore præsentes estis, faveatis dicenti, ac benignas aures, quod & obnixe rogo, præbeatis.

Ut itaque a patriâ exordiar, novitium nostrum vitæ candidatum, sanguinolentum, gremio suo excepit benigne, molliterque fovit Ultrajectum, anno supra millesimum & sexcentesimum trigesimo quinto, decimo Octavo Decembris die, circa nonam vespertinam; in cujus Urbis, adeo vicinæ, vix ulli ignotæ, totiesque per multos commendatæ, encomium si diffundar prolixius, operam prope supervacaneam me collocaturum, ac nota relaturum, mihi persuadeam. Quamvis, si verum amamus, solidæ felicitatis nihil patria nascenti ferat, dum illa viro forti ubique est, nec ullum est inventurus, quocunque respexerit, quocunque tetenderit, terræ angulum, qui ei alienus foret. Quis enim vestrum non animadvertit, in loco quovis justitiæ continentiæ prudentiæ pietatis ac virtutum reliquarum patere exercitium; undecunque ad cœlum erigi ex æquo oculorum aciem; si variegata stellarum spatia intueri, si magnificentissimam orbis universi structuram, si

noſmet ipſos mentemque noſtram contemplari velimus, & id agere, quo noſmet ipſos probe noſcamus, ſi divina beneficia, & quicquid ad animæ ſalutem relationem habet, mente revolvere propoſitum nobis ſit, quid quæſo refert, quam terram fertilem, quodve ex adverſo ſaxum ſterile, pedibus calcare datum fuerit. Perpendite, ſi libuerit, plerorumque originem, ac deprehendetis, niſi me fallat opinio, a mero caſu nativitatis locum eſſe, dum parentes naſciturorum huc illucve transferre domicilium ſuaſerunt varia, eaque ipſa non niſi fortuita. Quis enim veſtrum adeo rerum humanarum ignarus eſt, ut non intelligat, quam multis ex cauſis ad urbes ampliſſimas mortales ſeſe conferant, ab iiſque rurſus ad municipia, ad vicos, ad pagos, pedem referant ac fortunarum ſedem? Alios ſcilicet e loco priore vocat ambitio, alios officii neceſſitas, alios lucri captandi deſiderium, quoſdam & minus probatæ vel turpes cauſæ, ſpectacula, luxuria, opulentum plerumque ſeligens & oportunum vitiis locum: ſed vel ſpe, vel fine, quem intendebant, delapſi, aliud inſidere ſolum incipiunt, liberos ibi gignunt, quos mater edit, pater tollit. Dic ob-

obſecro, quid boni natale tribuat in hiſce ſolum? Ideone cives, quia Romam habuerunt patriam, laudabiles fuerunt Catilina Cethegus, & univerſa reliqua Romanæ libidinis ſentina, quæ exitioſis furoribus in Reipublicæ conſpirabat everſionem? ideone minus imperator maximus Epaminundas, quod Boëotorum in craſſo fuit aëre natus? ideone aut minus Ariſtoles ſapiens, aut minus prudens Uliſſes, quod ille Stagiræ, humili loco, hic Ithacæ, non niſi ex ſcopulis aſperis commendatæ, originem acceptam tulit? Non minus profecto digni laudum præconiis extiterunt obſcurâ editi in regione, eandem ſuis illuſtrantes natalibus, ejuſque memoriam ad nos transmittentes, cujus alioquin vel nomen nudum æternæ dudum fuiſſet involutum oblivioni, quam quos orbis urbs prima tulit naſcentes. Jactetur ac urgeatur vulgatum illud, natalis ſoli dulcedine ſic cunctos duci, ut eos ſui eſſe non ſinat immemores. Quamdiu mollia originariis in eo fluunt tempora, vultuque ipſis arridet illic fortuna ſereno, credibile eſt. At ſi, ut frequenter ſatis contingit, male habiti, patriam ut ingratam putent accuſandam eſſe, ſi in exilium pulſi, oſtraciſmo ſi ejecti, non eſſe,

esse, quod de suâ magnopere sibi gratulentur patriâ, inter omnes in confesso est. Sed & esto, quod Thales, unus ille ex septem Græciæ sapientibus, feratur æque gratias egisse Diis immortalibus, quod Græcus & non Barbarus, quam quod homo, & non bellua, natus esset. Esto, quod Ulpiano nostro placuerit, præsumtum esse, quosdam homines bonos futuros, quia natione sunt non infamata, quosdam contra malos videri, quia eâ natione sunt, quæ magis infamis est, ideoque in venditionibus servorum nationem exprimendam esse. Esto denique, esse aliquid, eo in loco editum dici, cujus solo nihil uberius, cujus polo seu aëre mitius nihil, ubi ab ineunte ætate datum inter eos versari, quos mores cultiores, quos emendatior commendat vivendi conditio; ubi ad divinarum humanarumque rerum scientiam comparandam periti doctores, occasio prona est: contra vero miserum, originarium illic esse, ubi & mores gentium indomitarum immansueti durique, & horridus ipsius loci situs, & cæli intemperantia aut hyeme fere perpetuo, aut molestissimo habitantes adurens calore, corporibus humanis gravis deprehenditur ac pernicioſa; ideone

L. 31. §. 21. ff. de ædit. edict.

ne illum ex hiſce felicem pronunciabimus, hunc infelicem? An non alibi nato alibi contingit honeſta educatio, morum efformatio, inſtitutio diſciplinarum, ad recte imperandum aut parendum viam monſtrantium? An non ingentem olim ex omni fere terrarum parte Romam & Athenas conſtat eorum conveniſſe catervam, qui illic vel latam oſtentandae virtuti & induſtriæ quærebant materiam, vel liberalium artium addiſcendarum allecti cupiditate, doctrinæ ſolidioris magiſtris ſeſe totos dabant erudiendos? Quin & ad vos omnes, quotquot adeſtis, Auditores honoratiſſimi, provocare licuerit, qui non modo maximis e civitatibus, ſed & aliis minore famæ hilaritate celebratis, huc acceſſiſtis, quemquamne veſtrum aut doctiorem aut meliorem aut feliciorem eſſe domum reverſurum creditis, prout vel ex humiliore vel ex excelſo magis natali ſolo ad hoc & alia ſimilia diſciplinarum velut emporia, ubi ſuum Minerva Capitolium erexit, tranſlatus quiſque tranſmiſſusve fuerit, ac non potius æqualem omnibus obtingere proficiendi facultatem, indeque non a patriâ, ſed educatione magis felicitatis cauſam oportere derivari? Quæ ſi ita ſeſe habe-

ant, Noſtrum primam Ultrajecti lucem adſpexiſſe, primum eâ in urbe edidiſſe vagitum, obſervaſſe ſufficiat.

Non tamen eadem, quæ patriæ, familiæ quoque ratio cenſenda eſt: quanquam enim & genus & proavi, ac in Re publicâ vel literariâ per eos geſta, quibus famam ad aſtra tulerunt, & diis quaſi ſuperis fuerunt mixti, vix noſtra putanda ſunt, ſi non in id diligenter demus operam, ne in nos quadret, heroum filios ſæpe noxas eſſe; ac neque defuerunt, neque deſunt in præſenti, neque defuturi ſunt, qui nullis avitæ gloriæ monumentis, nullis familiæ ſplendidioris inſignibus ſeſe valentes oſtentare, virtute tantum propriâ ad ſummos aut certe non contemnendos evaſerunt honores, & ita ſuis longe majoribus præluxerunt; non tamen ulli dubium exiſtimem, quin, ut in juvencis, ut in equis patrum virtus eſt, ita quoque majorum exemplis in memoriam revocatis excitentur non raro deſcendentes, ſerique nepotes, ad eorum gloriam ſuis quoque meritis vel æquandam vel augendam, atque ita continuandam eam, quam adſcendentes adepti ſunt apud bonos, exiſtimationem, monſtrandumque, ſe a majoribus il-

illuſtratos, eoſdem vice mutuâ illuſtrare voluiſſe, a laudabili probatâque non degenerantes gentilitiâ mente, nec obſcuritate propriâ, ac meritorum inopiâ, familiæ, quantum in ſe eſt, finem facere. Id autem, ſi ullo in alio, in Noſtro certe ſuam invenit veritatem, prognato quippe ex eâ gente, in quâ & virtus & eruditio non longâ tantum annorum ſerie ac generationum, ſed & multiplicato admodum ex adſcendentibus deſcendentium virorum eximiorum numero, ſtabilem ſibi conſtituiſſe ſedem viſa fuit. Quin, uti olim celebratiſſima apud Romanos fuiſſe perhibetur Fabia gens, adeo armis viriſque potens, ut, cum aſſidui & anniverſarii hoſtes eſſent ab Hetruria Vejentes, extraordinariam manum adverſus eos promiſerit, privatumque geſſerit bellum gens una Fabiorum, in tantum pro reipublicæ tuitione ſanguinem ſuum offerens ac pariter effundens, ut uno apud Cremeram prælio trecentos cecidiſſe Fabios, viros fortiſſimos, Romana Flori & aliorum hiſtoria tulerit: ita nec gentem aut familiam nunc uſpiam poſſe deſignari putem, quæ tot viris claruerit, in omni ſcientiarum genere eruditis, aut tot, Muſarum ſacris navantes operam,

ram, orbi dederit literato, atque quidem gens una Matthæorum. Gens, inquam, jam ultra trecentos celebrata annos, originem ducens ex Alfeldiâ vel Alifeldiâ, oppido Haſſiæ antiquiſſimo, cujus anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo civis fuit non inglorius Johannes Matthæus; a quo duo geniti filii, Bernhardus Matthæus, decurio Alifeldienſis circa annum milleſimum quadragenteſimum & trigeſimum, e qua linea poſteros plures Eccleſiis variis præfuiſſe conſtat; & Johannes Matthæus, qui municipali liberalitate quadringentos florenos ad reficiendas vias, & quadringentos alios ad juventutem ſtudiis imbuendam legavit, non exiguum pro temporum illorum ratione donativum! Filius huic fuit Johannes itidem Matthæus, verbi divini miniſter in Haſſiâ. Ex quo deſcendit Conradus Matthæus, Noſtri proavus, natus anno 1519. creatuſque J. U. D. & Profeſſor, dicaſterii Haſſiaci aſſeſſor, ac ſextum magnificus Academiæ Marpurgenſis Rector; qui ex duabus uxoribus, Margaretha Oetia, & Urſula Wernerina, Guidonis Werneri Marpurgenſis ſenatoris filia, liberos ſuſcepit quatuordecim, quorum duo in infantia vel pueritia fato functi,

cti, & alius, cum jam Magiſterii candidatus eſſet, reliqui, numero undecim, ad perfectam producti ætatem, ſeptem videlicet filiæ, & filii quatuor. Ex filiabus Eliſabetha nupſit Abrahamo Saur, Advocato Marpurgenſi; Urſula M. Vigelio eccleſiaſtæ Etſchelano; Charitas Johanni Viſſchero, Cancellario Ducis Brunſvicenſis; Chriſtina Georgio Sohnio, Theologiæ Doctori & Profeſſori Heydelbergenſi, Margaretha Valentino Forſtero J. U. D. & Profeſſori Heydelbergenſi & Helmſtadienſi; Catharina Johanni Rhodio, conſiliario Comitis Leiningenſis, Eliſabetha altera M. Bernherdo Mangero: atque ita rara apparuit in Conrado felicitas, quod, cum plures genuiſſet ſexus ſequioris liberos, per ipſas tamen illas filias etiam reipublicæ prodeſſe potuerit, maritis earum omnibus, uno forte excepto, ſtrenuam publico operam impertientibus, dum ex Theodoſii & Valentiniani conſtitutione *non intereſt, utrum per filios an per generos commoditatibus civitatum conſulatur.* Filios quod attinet, fuerunt hi Philippus Matthæus J. U. D. & Pandectarum Profeſſor Marpurgenſis, matrimonio junctus Margarethæ Satfeldiæ; Henricus Matthæus, in Archipa-

L. 3. in fine C. de liberis natur.

latinatu sacrorum Minister; Johannes Matthæus, Medicinæ Professor Herbornæ Nassoviorum, & Comitum tunc Nassoviæ, nunc Principum, Archiater, sociam thori nactus Margaretam Styliam, Palatinam; & Antonius Matthaeus, Nostri avus, J. U. D. & Professor, Herbornae primum annis duobus, dein Marpurgi annis viginti, ac tandem, rebus per Germaniam turbatis, Groningæ annis duodecim. Hic ex uxore Elisabetha Schulerina, Eckhardi Schuleri, Hassiæ Principibus ab archivis, filia, connubio sibi juncta, novem filiorum triumque filiarum factus pater, puta Johannis, Sigfridi, Reinardi, Antonii, Conradi, Philippi, Frederici, Christophori, Echardi, Susannæ, Catharinæ, & Adelheidis, ex filiorum numero, absque exemplo, quatuor ante obitum vidit in quatuor Academiis Professores, Cassellis Johannem, Ultrajecti Antonium, Groningæ Conradum, Harderovici Christophorum, illos Juris, hos Medicinæ. Antonium quod spectat, Nostri patrem, (in cujus ire laudes, instituti præsentis non patitur ratio, sed qui omni propemodum laude major fuit, dum non luculentis tantum inclaruit libris de criminibus & auctionibus, ac disputationibus de nobilioribus juris materiis

suc-

ſuccincte nitideque conceptis, & in partes plures relatis; ſed & pietate, candore, morumque ſeveritate paucos nactus ſibi pares, pauciores priores) cum per nuptias junxiſſet ſibi Annam Pontanam, Viri Celeberrimi Johannis Iſaci Pontani, Medicinæ Doctoris & Philoſophiæ Profeſſoris Harderoviceni, Regni Daniæ & Ducatus Gelriæ Hiſtoriographi, filiam, anno quinquageſimo quarto ſuperioris ſeculi, fato functus, quinque reliquit liberos ſuperſtites, (duobus jam ante extinctis) Antonium natu maximum unde vicennum, quem nunc lugemus, Johannem ſedecennem, Philippum tredecennem, Conradum decennem, Iſaacum ſexcennem, & Annam Mariam, quinquennem, quæ deinceps virgo obiit, uti & cælebs fato ceſſit menſe Octobri anni ſupra milleſimum & ſexcenteſimum nonageſimi vir Clariſſimus Philippus Matthæus, Medicinæ in Academia Franequerana Profeſſor celeberrimus; ſed & Iſaacus Matthæus Societatis Indiæ orientalis ſcriba 9. Dec. 1697. ac denique Conradus Matthæus Celſiſſimorum ac potentiſſimorum Belgii fœderati Ordinum Scriba, cælebs & ipſe, 17. Novembris 1693. ſic ut Noſter, omnium pa-

patris ſui liberorum natu maximus, omnium tamen ultimus ex vita migraverit. Et hæc quidem articulatim enarranda fuere, ne temeraria mea videretur aſſertio, non facile familiam viris tot doctis inclytam hiſce poſſe temporibus nominari.

Ut autem ad Noſtrum, cui parentandum, Oratio redeat, poſtquam in mundum ingreſſus adoleſcere cœpit, provida patris matriſque cura diligenter iis pro ætatis conditione cœpit imbui tum pietatis Chriſtianæ principiis, tum vitæ civilis rudimentis, ex quibus ipſum in virum tandem bonum evaſurum ſpes erat. Noverat enim apprime Pater ejus, quid educatio ætati tenellæ ſoleat conferre, ſive boni, ſive mali: noverat, cum, quo ſemel eſt imbuta recens teſta, diu deinceps odorem ſervari: noverat, cultum deſiderare inſignem novalia, ne, ſi neglexeris, ſpinis & vepribus & agreſtium plantarum aſperitate vaſtitas inducatur, haud facile ſuperanda: intelligebat abunde, ſi quis ætatis minoris naſcenti ſubrideat audaciæ, ac linguæ dicacitatem, impudentiae vel impietati frena jam laxantem, lepores appellet, ex illâ nimiâ parentum in pueros indulgentiâ ſic annis creſcere intractabilem

bilem malitiam, ut ſupra omne remedium ſit, quæ in primordio poterat cicurari: rem eſſe magnam, a teneris virtuti aſſueſcere atque labori, & alicujus jam rationis capacem adoleſcentiam, niſi præceptis ſalutaribus ad honeſta quotidie exerceatur, omnis deinceps diſciplinæ indocilem fieri: culpandos eſſe quam maxime illos, qui per ſe, vel politorem induſtrium agros quidem ſuos ea tractant diligentia, ut ex vetere formula *optimi maximique* reddantur; qui agaſoni quidem magno ſtudio pullos commendant, aſperos & indomitos, ut illis adhibeatur diſciplina, quo in optimos evadant equos, ne alias neglecti, onagri inſtar, petulcis calcibus diſſilientes omnia efficiant turbarum plena; interim vero liberis, pignoribus chariſſimis, nullam aut ipſi curam impendunt, aut fideli probatoque committunt pædagogo vel educatori; adeoque major illis & poſſeſſionum & equorum ratio eſt, quam illorum, quorum gratiâ credibile eſt hæc comparari colique. Atque hinc ergo fuit, quod & Noſter, velut alter Aſcanius, annis creſcentibus, ſeverâ lege a parente ſuo, ſeu altero Æneâ, proficere juſſus, virtutem ab eo mature didicit verumque la-

borem; quo cum felices in humanioribus feciſſet progreſſus, ac magnam Academicorum ſtudiorum partem abſolviſſet, initio anni quinquageſimi ſexti, ſeculi elapſi, adeoque anno circiter a parentis optimi exceſſu, Franequeram eruditionis ulterioris comparandæ cauſa miſſus, integro illic biennio ſubſtitit, uſus præcipue inſtitutione Clariſſimi ac celeberrimi tunc Jacobi Wiſſembachii, juris ibidem Anteceſſoris eximii, cujus ad Inſtitutiones & Pandectas & Codicem interpretationes, uti applauſum magnum inter eruditos invenerunt, ita plerorumque bibliothecas ornant, uſuque frequentantur. Redux deinde, per anni ſpatium Ultrajecti auditorem ſeſe ſtitit Clariſſimo Cypriano Regneri ab Ooſtergâ, primario juris ibidem Profeſſori. Quibus auxiliis eum ſibi, ſua tamen potiſſimum diligentia, Juris ſcientiæ congeſſit apparatum, ut Academicis ſtudiis finem imponendum eſſe judicaverint, quorum in ipſum autoritas erat; quod &, præmiſſis ex lege moreque præmittendis, adimpletum, collatis in ipſum ſummis in utroque jure honoribus, ſexto Auguſti die, anni quinquageſimi noni. Sed cum latere nequeat facile, quicquid eminet, ac in conſtitutis bene

bene Reſpublicis ſua meritis non ſoleat deeſſe remuneratio, hinc accidit, ut nec Noſter privatam diu vitam egerit, ſed in publicum fuerit maturè productus, dum ſexto Auguſti anni inſequentis ſexageſimi ipſi, ac cum ipſo etiam Viro conſultiſſimo Abrahamo Wyckerſlotio, Conſulis Ultrajectini filio, demandata fuit extraordinaria juris profeſſio, inauguratione utriuſque eadem hora in templi majoris Choro ſolenniter peracta, obſtetricantibus huic primæ honoris productioni, & autoritate ſua eandem promoventibus, Viris Ampliſſimis Nicolao Hamelio ac Johanne Nelleſteynio, urbis Ultrajectinæ ſæpius conſulibus; qui, uti ab Noſtri Parente non modo ſuam omnem hauſerant civilem ſapientiam, admiſſionis interioris apud eum auditores, ſed & uno tempore ſimul ab eodem juris utriuſque doctores ſolenni majorum more fuerunt renunciati, præmiſſa per Promotorem oratione de *pileo*, exaſciata ac elegante, quam inter alias plures politiſſimas & omni eruditionis genere refertas, unoque volumine in forma minore compoſitas, invenire licet; ita nec unquam deſiterunt acceptorum maximorum a Præceptore beneficiorum

memores esse, &, dum in defunctum non licebat ob mortem præmaturam, in liberos ipsius omni data occasione notabilia admodum gratitudinis indicia, luculentis sane diffundere modis, magni familiæ sui quondam doctoris adjutores ac patroni. Nec favori in Nostrum, jam ita publico admotum, collocato sua defuerunt initia læta satis atque optabilia: cum enim & docendi dexteritate, & ætatis cum auditoribus non magnâ inæqualitate, plerumque juvenibus arridente magis, frequentem haberet tum ad publica tum ad privata auditoria concursum, ac non levem discipulorum applausum, secutum fuit, ut, die 14. Novembris anni sexagesimi secundi jussus fuerit extraordinariam deferere professionem, inter ordinarios facultatis Juridicæ anteceſſores coöptatus; Wykerslotio, Collega ejus, mox ad dignitatem senatoriam urbis Ultrajectinæ, indeque post annos aliquot in supremum Diœcesios Ultrajectinæ dicasterium translato, ubi judicis æquissimi ac candidissimi partes ab eo feliciter ad mortem usque impletas fuisse, constans fama atque existimatio est.

Noster interea, obtento illo honoris simul

&

& ſtipendii augmento, non otio ſeſe mancipavit atque deſidiæ, perinde ac ſi jam ſumma votorum ipſi obtigiſſet, quo vitio plures aliquando laboraſſe cum hilarioris famæ diſpendio, in comperto eſt, ſed contra majoribus hiſce diligentiæ præmiis incitatus, ad labores eo audentius fervidiuſque ſeſe totum compoſuit, ac nominis proprii celebritate, ſimulque paterni, tanquam virtutum ejus & eruditionis exquiſitæ, nec non Profeſſionis, ſucceſſor, plures indies addictos ſibi, etiam e peregrinis regionibus adventantes diſcipulorum manipulos, nactus fuit. Unde nec quieſcendum ultra cenſentes graviſſimi ac ſpectatiſſimi urbis Ultrajectinæ quadraginta Viri, tanquam Academiæ curatores, annuam ipſi Rectoris magnifici decreverunt dignitatem 16. Martii anni 1666. iiſdem viris Ampliſſimis Hamelio atque Nelleſteynio fidelem huic quoque rei operam navantibus. Verum uti vix eſt, ut caſus infelicior ſuperveniens non habeat alium comitem, acerbiorem ſæpe, paſſibus haud longe diſtantibus inſequentem, ita quoque ejus, cui & merita non deſunt, & favet fortuna, felicitatem unam alia haud raro ita excipit, ut clavo clavum, cuneo cu-

neum trudi, unda undam impelli videmus; cujus & ſenſum Noſter in ſe expertus fuit: eodem anno, cum adhuc Academiæ faſcibus erat conſpicuus, Groningam ad ordinariam Juris Profeſſionem evocatus, ſtipendio mille & octingentorum florenorum, quod illius temporis & loci intuitu modum ordinarium egrediebatur, deſtinato. Sed ſive propinquorum intercedentium precibus, ſive virorum Ampliſſimorum ſuperius commemoratorum, & ſenatus totius urbani Ordine interveniente, ſive utroque concurrente, induci ſeſe paſſus eſt, ut illi morem non gereret Groninganorum vocationi, aucto ipſi annuorum quadringentorum proventu, adeo ut, cum octingentis antea frueretur, deinceps mille & ducentorum anniverſariam ſenſerit utilitatem, exemplo hocce egregio teſtatum faciens, ſibi & propinquorum amicitiam, quæ ex migrationibus imminui frequenter ſolet ac refrigeſcere, & deſideria eorum, quorum munificentiæ publicam primum debuit vitam, plus apud ipſum valuiſſe, quam pecuniæ, omnia non raro vincentis, amorem: ſexcentis non modo annuis ea ratione repudiatis, ſed & alia majore ſumma quaſi abjecta, quam in Urbe

he Groningana longe levius eſculentorum ac aliarum rerum pretium, & habitationum conducendarum mercedes minores, ipſi potuiſſent annuatim reſiduam facere? Quicquid ſit, placuit certe ipſi, hac quoque in parte moribus inſiſtere veſtigiiſque paternis, qui anno quinquageſimo etiam ex Ultrajectina Academia ad primariam juris Profeſſionem in ea, quæ Groningæ eſt, vocatus Attalicis (ut laudator „ejus ait, Clariſſimus Berkringerus) conditio„nibus, oblato ſtipendio bis mille florenorum, cum acceſſorio liberi tecti, congiario „item ſexcentorum florenorum pro acceptationis officio, nec non recompenſa quadrin„gentorum pro dehabitationis moleſtia & tranſportationis impendiis, addito corollario pro „vidua, marito profeſſore morte præoccupato, eveniente eventu, totidem florenorum annuorum, transferendorum pro re „nata in heredes liberos per matris deceſſum, non tamen omnibus hiſce annuendum cenſuit, aut ſtationem mutandam eſſe. Quamvis autem ex edito tali per Noſtrum ſpecimine maxima videri potuiſſet exſurrexiſſe præſumtio, eum poſt tot ampla oblata, ſed ſpreta, non facile permovendum fuiſſe, ut derelicta

licta Ultrajecto, in locum alium, lautiſſimis utcunque conditionibus invitatus, ſuam transferret domicilii ſedem, tamen tanta ejus, in flore æratis tunc conſtituti, vereque florentis, apud exteros exiſtimatio percrebuit, ut ex geſtis prioribus abſterriti non fuerint hujus Athenæi Lugduno Batavi Curatores Ampliſſimi, quin anno 1670. die tertio Februarii ordinariam ei Jutis Profeſſionem obtulerint, addita mille & ducentorum in annos ſingulos promiſſione. Verum cum illa Noſtro diſplicuiſſet oblatio, adeoque eam duxiſſet non acceptandam, iterum ejuſdem anni menſe Martio tentatus ad eam ſuſcipiendam, profeſſus de novo fuit, ſe ea conditione haud eſſe uſurum; aucto interim ei per Ultrajectinos honorario, tam generoſe vocationes aliorſum recuſanti: donec tandem tertium anno 72. die Octobris 13. ab iiſdem invitatus Curatoribus Nobiliſſimis, operam ſuam omnem Academiæ Lugduno Batavæ, tum propter turbatas bello, vel occupatione Gallica, reliquas Belgii Academias, apprime florenti, libens addixit. Tantæ ſcilicet molis erat, tanti laboris, permovere virum, fama inclytum, ac forte nunquam permovendum, ſi non hoſtiles

Digitized by Google

les Gallorum copiæ tunc ipſam inſediſſent Ultrajectum, & juſſiſſent, inter arma ſilere leges, omnemque in ea Academia bonæ mentis cultum rebus ipſis ac factis interrupiſſent. Sic ergo, Gallis permittentibus, huc cum familia ac impedimentis devectus, inauguralem habuit orationem die decimo nono Januarii anni inſequentis. Cui etiam deinceps honores additi extraordinarii; nam & anno ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo octavo Rectoris magnifici faſces ei delati, & hujus anno ſeptimo munus annuum Actuarii Senatus Academici, ex lucro magis, quam ſplendore, gratum; aucto etiam ante quoſdam annos ſtipendio per ducentorum annuorum adjectionem. His vero tot commodis, tot honoribus acceſſit & alia, qnamvis privatæ magis vitæ, felicitas, concors nempe matrimonium, liberis ſubnixum, ac ad extremum vitæ finem continuatum: Cum enim ad annum uſque ſuperioris ævi ſexageſimum ſextum ſolitariam cœlibemque fuiſſet vitam ſecutus, prudente conſilio non tam de liberorum procreatione, quam potius lectione librorum, pro comparando lautiſſimo eruditionis theſauro, in reliquum vitæ tempus uſui magnopere futuro, præpri-

ſollicitus, ſubſiſtendum pauliſper ratus fuit, ac intermiſſis & dilatis Themidis Minervæque ſacris, de quærenda vitæ ac thori ſociâ cæpit curam inſtituere, quo & dulce haberet laborum levamen, & ad œconomiam ſpectantia, quibus in cælibatu fatigabatur, a ſeſe abdicaret, ac, quod uxorium eſſet, uxori relinqueret, ut ita diviſum cum Jove Juno, partitis juſte operis, imperium obtineret; invenitque tandem, quam in matrimonium duxit 20. Martii 1666. tum Academiæ Ultrajectinæ Rectoris, lectiſſimam, & omni virtutum genere commendatiſſimam, ac liberali ſtaturâ, formaque inter æquales tunc Ultrajectinæ regionis puellas honoratas præſtantem, *Eliſabetham Pater*, non ſine limis oculis id ſpectantibus variis aliis honeſtis, ac conditionis non contemnendæ, competitoribus, prædam hanc noſtro, ac ſortem tam felicem, haud parum invidentibus. Fuit autem hæc nata Patre Nicolao Pater, honorato cive Ultrajectino, matre Swanâ van Maſtricht, cujus *Pateri* majores non modo frequenter & a longo tempore conſulatum geſſerunt Nardenſem, ſed etiam Amſtelodamenſi Reipublicæ & conſules ejuſdem nominis & ſcabinos ſuggeſſerunt,

nec

nec non civitati diœceſios Ultrajectinæ Batavo-Duranæ, ſicut & Ultrajectinis dignitatis primariæ viris Johanni Nelleſteynio, ſæpius urbis conſuli, ac Martenſio urbis ejuſdem ſcabino, uxores omni laude dignas, & noſtræ lugenti nunc viduæ non multis gradibus diſtante ſanguinis vinculo junctas.

Ex hoc vero fœdere matrimoniali, in quo illa maximum ſibi decus conſtituit exactiſſimum pudicitiæ ſtudium, ac virtutum reliquarum vere Chriſtianarum cultum non ſimulatum, maritum ſuum pulchrâ prole parentem fecit, edito in lucem uno filio, biniſque filiabus, ex quibus nunc ſolus ſupereſt filius, Antonius Matthæus, Antonii filius, Antonii nepos, Antonii pronepos, quem hic videmus præſentem lugentemque, in illuſtri Schola Daventrienſi Juris Anteceſſorem meritiſſimum, non modo imitatorem eruditionis paternæ diligentem, ſed & fortunarum ejus ex aſſe heredem. Cui die 15. Martii 1702. adeoque circa idem prope tempus, quo & vocatio Daventrienſis interpoſita fuerat, tœdâ jugali juncta fuerat virgo eximia Judina van Hurck, filia viri ſpectabilis Petri van Hurck Hollandiæ Curiæ, dum vixit, a ſecretis, &

Angelæ van Alphen ex celebratiſſimâ hujus Urbis Alphenorum familia: ex quo conjugio natæ filiæ duæ, quarum una in ipſo partu periit, altera Antonia Eliſabetha, fere ſeptennis, extremum diem clauſit. Reliquas duas quod ſpectat defuncti Noſtri filias, Jacoba Cornelia natu minima annicula e vita exceſſit; natu vero major Antonia in mundum ingreſſa anno 1668. cum jam ad ſtatam uſque perveniſſet ætatem, ad maternum fere & egregium accedens corporis habitum, inexpectato penitus ac ſubitaneo mortalitatis caſu ſubducta fuit 14. Octobris 1705. cum prius filiolam Eliſabetham, necdum triennem, quam ex marito ſuo Balduino van Banchem, Juriſconſulto ac cohortis civicæ duce, viri Ampliſſimi Johannis van Banchem, conſulis identidem Leydenſis, filio unico, conceperat, in cœlum lugens præmiſiſſet: mæſto & attonito vehementer ex illo filiæ tunc unicæ obitu parente utroque, quibus non potuit non luctuoſiſſimum eſſe, eam, quam educaverant, jam adultam, jam patri jam matri conſeneſcentibus præſidium & decus futuram, tam repentino perdidiſſe letho, ac turbato mortalitatis ordine ſoboli hujc ſuæ ſuperfuiſſe: ut, ſi alibi, hic

hic utique verum fuerit deprehenſum, nullum non acerbum funus eſſe, quod pater ſequitur, lachrymiſque calidis ac complorationе ſingultibuſque, in ſexu ſequiore non damnandis, e longinquo mente dolente mater comitatur. Quamvis hunc luctum domeſticum, ferocem initio, & adverſus remedia fere contumacem, patientia atque prudentia Chriſtiana temporiſque lapſu interveniente, temperaverint paulatim ac tandem ſuperaverint, ſeriâ revolventes cogitatione, uti rerum aliarum, ita & liberorum penes nos dominium non eſſe, ſed uſumfructum magis, atque hunc vel ſerius vel ocius ſæpe nobis, divinâ voluntate ſic decernente, ſubduci.

Hæc cum ita ſint, auditores, quis veſtrum dubitet, quin, demtis liberorum funeribus, tot fauſta atque felicia in noſtrum Collegam divino favore conſpirantia atque concurrentia, effecerint, ut de novercante ſibi in humanis fortunâ dolere nequaquam potuerit, maxime, ſi illa conferamus, quæ vulgo de eruditorum diſſeminantur infelicitate. Sed quia nihil in hâc vitâ ab omni parte beatum eſt, nec ulli mortalium adeo mollia perenniter fluunt tempora, ut adverſi nihil experiatur,

ac plerisque per varios morborum casus ad lethum iter parari consuevit, non potuit non Noster quoque his aliquando exerceri, ac notabilem perpeti valetudinis concussionem. Etenim non tantum anno millesimo sexcentesimo septuagesimo octavo in gravissimam febrem incidit, quæ maximis cum angoribus juncta, præsentissimum prope mortis periculum inferre visa fuit; sed etiam septimo Septembris die anni 1691. dextrum ejus oculum invasit gravis ac repentinus catarrus, unde & inferior palpebra immobilis stetit, & distorta facies tota fuit, & in labiis nulla vis, ac ex eo impeditior tempore diuturniore sermonis usus: quæ tamen singula superata tandem, non minimum ad restitutionem valetudinis juvante, præter Medicorum auxilium, firma corporis, humoribus non nimium repleti, nec excessibus fatigati fractive, dispositione. Neque extra duas hasce vehementes morborum invasiones sanitati ipsius grande incommodum opinor illatum, nisi quod ingravescens ætas, quæ & ipsa morbus est, vires corporis attriverit paulatim ac diminuerit, ad quod vigoris decrementum, anno præsertim vitæ postremo, haud leviter contulisse videtur etiam

im-

immaturus Neptis ex filio unico unicæ nec-
dum ſeptennis interitus; quæ annis adhuc in-
nocentibus dicacula, maximum avi ſui favorem
artibus in infantiam cadentibus conciliaverat,
dum vel ad hortum ſuburbanum ei comes,
vel domi more puerili cum eo, ſtudiis ſerio-
ribus fatigato verſata, dimidiatis prope verbis
& balbutientis adhuc linguæ fragmine, dul-
cem exercere ſolebat garrulitatem, ac nugis
ætati iſti reſpondentibus ei adblandiri; quales
offenſantis titubantiſque ſermonis diſſertiun-
culæ parentibus, præprimis avis atque avia-
bus, ſæpe jucundiores ſunt, quam ſeriæ &
gravitatis plenæ adultorum orationes. Hac
ergo voluptate cum per mortalitatem, ſimul-
que nomine avito excidiſſet, graviter admo-
dum hunc caſum tuliſſe viſus fuit, doloris in-
gentis inde concepti indicia, velut aſpero du-
roque fato impoſito, familiaribus in colloquiis
frequenter teſtatus. Nec hujus virium pro-
ſtrationis ſenſu Noſter caruit, ſed prudenter
obſervavit, donec tandem ſecundum experi-
entiſſimi Medici Juſti Schraderi, ad curan-
dum vocati, narrationem, laborare cœpit co-
„lico dolore pertinaciſſimo, ad affectum ilia-
„cum tendente, cum alvi conſtrictione invin-
„ci-

„cibili, licet probatiſſima omnis generis re-
„media mature adhiberentur. Unde poſt dies
„aliquot febris ſuperveniens (& procul dubio
„inteſtinorum inflammatio gangrenam gignere
„ſolita) ægrum intra horas viginti quatuor e
„cætu mortalium eripuit, die menſis ſupe-
„rioris Auguſti 25. circa quartam promeridia-
nam, poſtquam vixiſſet annis ſeptuaginta qua-
tuor, menſibus octo, & ſeptem diebus: quem
mors non offendit imparatum, ſed ſpei fidei-
que Chriſtianæ plenum, ac meliora expectan-
tem. Cum enim reverendus ac doctiſſimus
Albertus Albertoma, eccleſiæ in hâc urbe mi-
niſter facundiſſimus, plus ſemel, ei in lecto
lethali decumbenti adfuiſſet, ut ad æternita-
„tem ducentia ſuggereret, ſe animo ſemper
„tali eum deprehendiſſe teſtatus eſt, quali eſſe
„oportet vere Chriſtianum, qui horam mortis
„appropinquantem expectat. Primâ namque
„vice, die dominico, 24. Auguſti, quo de-
„mum ægrotare jam pie defunctum acceperat,
„eum aliquoties profeſſum eſſe, firmiter ſe per-
„ſuaſum habere, hunc ultimum ſibi morbum
„fore, ac propediem inſtare divinam ex hâc
„ſtatione ſua miſſionem, non tantum, quia
„nullis malum hoc præſens remediis videbatur

„ex-

„expugnari poſſe, ſed &, quia jam a tempore „longiore virium ſuarum notabile decremen„tum ſenſerat, hâc præſertim provectâ ætate: „addendo, ſe paratum eſſe, ut ad voluntatem „divinam ſeſe totum componat, humiliatum „quidem coram Majeſtate divinâ, ſed tamen & „ſalutari ſimul in Chriſto ac per ejus merita con„ceptâ ſpe, de miſericordiâ divinâ gratiâque „in Chriſto ſibi morienti haud defuturâ. Nul„lum interim vel minimum ab ipſo prodiiſſe „indicium de vitæ ulterius producendæ deſi„derio, ſed magis eum, derelictis iis, quæ hu„jus mundi ſunt, cogitationes defixas tantum „habuiſſe in imminentem ſibi hinc migrationem, „& ad æternitatem vitamque meliorem trans„lationem. Sed & apparuiſſe ipſum omni mor„bi tempore admodum animo præſentem, & „ſibi conſtantem, ac maximos etiam angores „patienter tolerantem. Inſuper eodem tempo„re profeſſum fuiſſe, ſe probe peccatorum ſuo„rum ſibi conſcium eſſe, ita tamen, ut ſimul „agere gratias Deo potuerit, qui ipſi, in bo„num adnitenti, clemente adſtiterat auxilio. „Præprimis vero placuiſſe ipſi recitationem, „ſibi factam, verſuum illorum Matthæi cap. 5. „quibus repetita toties ſalutis addictio: ac, cum

„his adderetur responsio ad primam quæstio-
„nem ex catechesi Heydelbergensi, quæ unica
„Christianorum sit spes atque solatium in vitâ
„ac morte; responsionis ejus etiam verba plu-
„ra mox a decumbente fuisse repetita. Inter
„alia etiam Nostrum dixisse, conveniens esse
„Christiano, ut ita coram Deo sese sistat, uti
„pœnitens publicanus, cujus in Euangelio men-
„tio est: cumque eâ occasione narraret vir re-
„verendus, a doctissimo Quistorpio memoriæ
„fuisse proditum, Hugonem Grotium, etiam
„in agone mortis positum, pie sibi in mentem
„revocasse eximium illud publicani exemplum,
„oreque velut moribundo fuisse professum, *se*
„*esse publicanum illum*; Nostrum mox regesisse,
„*verba hæc notatu dignissima esse*. Fusis deinde
„precibus, paucis ante mortem horis, gratias
„eum egisse viro reverendo, cum repetita si-
„gnificatione, sperare se, futurum, ut animo
„devoto atque humiliato, ac fide in Christum
„sese suo esset Deo stiturus. Cæterum post
„discessum viri reverendi pauca locutum, ac
„repetitis in ipso mortis articulo verbis, quæ
„superioribus haud absimilia, spei ac fiduciæ in-
„dicibus, oculos clausisse, placidâque morte
„extinctum esse. Sed, quid extinctum dixi?
imo

imo vivit Auditores, vivetque, per ſcripta ſua, per ingenii monumenta gratam ſui memoriam in plura ſecula producturus, nec intermorietur honeſta Matthæorum recordatio, quamdiu ſua juriſprudentiæ conſtabit autoritas, hiſtoriæ veteris ac recentioris ævi ſuum pretium, ſuus eruditioni honor ſupererit. Sunt enim hæc prope unica inter res humanas opera, quibus nulla tempeſtas noceat, quæ nulla conſumat ætas, quæque Horatius ære perenniora pronunciavit, dum in animis & hominum pectoribus legendo recepta, vetuſtatem non timent. Ruant marmoreæ moles, terreni ruant tumuli in magnam educti altitudinem, fruſtra plerumque poſt plurium ſeculorum decurſum quærendi, libri tamen eorum, quorum nec minima quidem ſepulchri vel monumentorum apparent veſtigia, diurna nocturnaque etiamnum hodie verſantur manu, ad ſapientiam magiſtri, muti quidem, ſed tamen utiliſſimi, unde, quod palato cujuſque placet, peti, diſci, ac in rem cujuſque converti prudenter poteſt. Adeo autem ingens eorum, quos Noſter compoſuit, aut illuſtravit, numerus eſt, ut, ſi in contexendo eorum catalogo lapſus, nonnullos prætermiſerim, veniam mihi, per multitudi-

nem obruto, haud difficulter dandam confidam. Scripsit enim de probationibus fide instrumentorum & testibus, observationes rerum judicatarum, de jure gladii, de nobilitate, de fundationibus & fatis ecclesiarum Ultrajectinarum, manuductionem ad jus Canonicum: edidit, ac commentariis auxit chronicon Egmundanum, res Ultrajectinas, historiam Frisiae Orientalis Eggerici Beninga, Alciati epistolam contra vitam monasticam, in primis vero analectorum tomos decem.

Intellexistis, Auditores, vitam mortemque Viri clarissimi ac celeberrimi, nunc cœlo fruentis, qui ultra annos quinquaginta volvit revolvitque hoc suum saxum professorium non contemnenda felicitate, dum aetas stabat, ac vigor durabat. Etsi vero antea arti parentandi haec quoque constiterit ratio, ut prolixa institueretur de vultus lineamentis, frontis honore, oculorum vivacitate, jusla nasi ac oris proportione, genarum colore, candore, rubore, capillitio, tanquam Veneris pectine, scepe digno, undante, crispo, flavo, fusco, nigro atque corvino dissertatio, tamen, cum liberiorem horum fere omnium conspectum nunc nobis invidere soleat galeri fictaeque comae

mae frequens uſus, unica fere narium extremitate oriſque labiis ſeſe palam monſtrantibus, non eſt, quod in praeſenti latentia illa magis, quam caecae ac veſte tectae corporis partes aliae, deſcriptae dentur, ac proinde ſcire ſuffecerit, Noſtrum ſtatura ad breviorem acceſſiſſe, neque obeſum, neque macilentum admodum, membris caeteroquin recte compoſitis, & ſibi mutuo ſatis reſpondentibus; forma media, qualis etiam neglecta virum decet, inceſſu non deſultorio, picarum more, vel praecipitato, neque rurſus delicato teſtudineoque nimis; ſermone conſtante & aequabili, abſque clamoſae quidem vocis affectatione, ſed tamen muniis ſibi peragendis abunde pare, declinata feſtinatione ac lentitudine, ſcopulis duobus, in quos non raro per eos impingitur, quibus publice dicendi neceſſitas incumbit. Sed & ipſum in corporis ac veſtium cultu ornatuque minime negligentem fuiſſe palam eſt; quippe quem & juvenem, & uxoratum, & ætatis jam ſtatæ virum, pleriſque ſuæ conditionis ac profeſſionis hominibus ſplendidiore tegumentorum apparatu, etiam ad delicatum accedente, palmam præripuiſſe, non niſi pannis holoſericis, iiſque vil-

loſis, non niſi lineis ſimbriatis dentatiſque, ex more inter honoratiores tunc recepto, utentem, teſtes ſunt mecum, quotquot eum & Ultrajecti & primis hic annis noverunt florentem. Licet haud ſit eunduin inficias, extrema in ſenectute id ei accidiſſe, quod pluribus ad annos provectiores perductis, ut nempe de veſtium pompâ minus incipiant eſſe ſolliciti, ita cenſentes, prodire in publicum ſatis honeſte virum probum & eruditum, utcunque veſte amictum ſimpliciore, ac vultui, vetere quercu rugoſiori, juvenilia minus convenire ornamenta, in ludibrium potius ac deriſionem, quam laudem, ceſſura.

Amicitiam coluit cum collegis & aliis tum urbis hujus tum aliarum regionum viris egregiis, qualem excolere poſſunt, quibus adeo perpetua docendi ſcribendique vel neceſſitas eſt impoſita, vel voluptas placet: ſed inter familiaritatis interioris amicos numeravit præcipue Ampliſſimum Nicolaum Witzen, Amſtelodamenſis reipublicæ virum conſularem, ac multis honoribus, rebuſque pro patriæ utilitate feliciter explicitis inclytum; graviſſimum Danielem de Milan Viſconti, urbis Ultrajectinæ ſcabinum, & antiquitatum tum aliarum

rum tum Belgii indagatorem curiosum; nobilissimum denique Stephanum van Rhenen, Daventriensem, Nobilium Transisalaniæ nomine adscriptum collegio archithalassico Amstelodami.

Quod reliquum est, sic vixit, ut neque sordide captaverit magnatum benevolentiam, neque etiam proterve spreverit; ut merito dixeris, eum inter abruptam contumaciam & deforme obsequium iter vitæ instituendo, perrexisse periculis vacuum & ambitione. Unde & reprehensiones aliorum circa adiaphora sibi visa neque curavit multum, neque magnopere ad animum revocavit. Proficiendi vero desiderio nulli vel veterum vel recentiorum secundus, ex eorum numero esse voluit, qui & docendo discunt, & scribendo proficiunt, ac vicissim proficiendo scribunt, Juliano Jurisconsulto, uti annis, ita & laudabili plenius cognoscendi appetitu non multum dissimilis, quem scripsisse Pomponius autor est, *se discendi cupiditate, quam solam vivendi rationem optimam in octavum & septuagesimum annum ætatis duxerat, memorem esse ejus sententiæ, qui dixisse fertur, etsi alterum pedem in tumulo habercm, non pigeret aliquid addiscere.* L. 20. ff. de fideic. libert.

Quam

Quam enim pertinaciter Noſter iis incubuerit, quibus mediorum ſeculorum barbarique temporis geſta panduntur, ex eo licet colligere, quod recondita in templorum, monaſteriorum, curiarum archivis ſcripta, a muribus roſa, a blattis tineiſque uulnerata crudeliter, ac vetuſtate viſum in multis prope fugientia, devoratâ moleſtiâ tædioſiſſimâ, in lucem dederit, illuſtrata commentariis, conceptu tanto difficilioribus, quanto minor eruditorum, illa media tractantium, frequentia eſt: ſic ut ſæpiſſime glaciem, quod ajunt, fregerit in eorum utilitatem, quos ſimilis antiquitatum illarum cura tangit. Quamvis enim multa plerumque ſint doctis communia, maxime, quæ ad Spartam, quam nacti ſunt, ornandam ſpectant; tamen nec dubium, quin extra illa quædam inſuper huic aut illi jure quodam proprio vindicentur, curâ diligentiore excolenda. Uti enim virtutes imperatorias, & in Antonino & in Pio & in Marco fuiſſe certum eſt, & tamen in ſingulis eminuit aliquid atque excelluit, ex quo fuerunt præcipue & populo & poſteris commendatiores, dum in Antonino pietas, in Vero bonitas, in Marco ſapientia, teſte Lampridio, quaſi con-

Digitized by Google

consecrata fuit; ita quoque Nostro placuit insigni Juris Romani scientiæ, voluntaria liberalitate, exquisitissima veteris ævi monumenta indefesso adjicere mentis fervore. In Vita Antonini c. 7. Neque tamen ex eo, quod tam insignia se præstitisse satis sibi conscius esset, fastus ullus ipsum occupavit, aut in arrogantiæ voraginem, multorum infortunio notabilem, delapsus est; unde nec unquam, quod sciam, in propriæ laudis præconia processit, sed, quicquid egit, quicquid vulgavit, id non suo, sed alieno peritorum judicio vel stare oportere vel cadere, persuasum habuit, odio plus quam Vatiniano prosecutus eos, qui jactabundis vocibus, apparatu steriliore, sua deprædicare solent, aut nihil aut parum habentia in recessu. Uti autem a superbia, ita & a luxu ac inutili patrimonii profusione, quæ nihil ad posteros, quam araneis & inaniis repletas crumenas transmittere solet, abhorruit, sicut & ab aliis variis, quibus hoc seculum involutum, vitiis: sciens interim ac agnoscens, ut virum bonum decet, hominem se esse, adeoque & humani nihil a se alienum, neque quemquam aut inter homines sine offensione aut coram Deo sine crimine vivere. Quæ & ratio

tio eſt, quod ex principiis illis, quibus per parentes piiſſimos ab unguiculis imbutus fuit, illam conſtantem ſervaverit conſuetudinem, ut & mane ſurgens ſolitarius in Muſeo flexis genibus ſe & ſua Deo commendaret, & veſperi lectum non peteret, niſi eodem modo, rationibus geſtorum illius dici apud Deum expoſitis, veniam eorum, in quibus lapſus erat, humiliter imploraſſet; ne inferior Ethnico Philoſopho, ipſe Chriſtianus eſſet, compertum quippe ſatis habens id, quod de ſe Seneca libro tertio de ira, cum ait, *utor hac poteſtate, & quotidie apud me cauſam dico; cum ſublatum e conſpectu lumen eſt, & conticuit uxor, moris jam mei conſcia, totum diem meum ſcrutor, facta ac dicta mea remetior, nihil mihi ipſe abſcondo, nihil tranſeo; quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cum poſſim dicere, vide ne iſtud amplius facias, nunc tibi ignoſco; in illa diſputatione pugnacius locutus es, noli poſtea congredi cum imperitis* &c. Sed & ex eodem fonte fluxit, quod religioſo cultus divino zelo flagrans, aut urbanas diebus dominicis aut ſuburbanas diligenter frequentavit conciones, comite plerumque, aut certe frequenter, uxore pientiſſima, ac deambulationes etiam

c. 36.

etiam ad remotiorum pagorum templa cum voluptate inſtituente: nec unquam impia ſeſe ſeculi hujus corrupti opinione vinci paſſus eſt, ut ipſi religio ſordeſceret, quaſi terriculamentum tantum eſſet, eaque non aliter, quam veſte quadam temporaria, foret utendum, quæ quorundam odio ſacrorum intumeſcentium opinio, dicam, an magis audax atque deteſtanda, nec minus noxiâ fœcunditate ſua ſoboleſcens, jactantia eſt. Denique & origini eidem accepto ferendum, quod neque cum ſacri codicis & verborum ejus abuſu ac in ſenſus ridiculos detorſione profanâ lepores, quod ajunt, ſuis ſolitus fuerit miſcere ſermonibus, utcunque alias & jocos inter amicos & ſales pro re nata non inficetos haud quaquam defugiens: neque ſcommata vel contumeliarum ſordes auditus fuerit eructare in pietatem non fucatam commendatamque Chriſtianis morum integritatem, ſed potius devotionis veræ ſenſu tactus, pro imbecillitatis humanæ viribus, divinitus ſuggeſtis, in bonum ita fuerit anniſus, ut ſecundum ante commemorata exitum vitæ ſortitus exiſtimetur, piis omnibus optandum vovendumque.

D I X I.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google





Digitized by Google